



**Conciones siue Conceptvs Theologici Ac Prædicabiles R.  
D. Petro Bessæi SS Theol. Doct. Reg. Galliar. Oratoris**

De Sanctorum Festiuitatibus Anni totius, & aliis solemnitatibus - Opvs  
Novvum, Figvris, Allegoriis, Similibvs Ex Sacris profanisq[ue] Scriptoribus  
plenißimum, cum occurentium fidei controuersiam tractatione .... Editio  
Qvinta. Nvnc Demvm Integre Svppletæ, Concionibvs Per Octauam Vener.  
Sacramenti ...

**Besse, Pierre de**

**Coloniae Agrippinae, 1629**

In Festo S. Marci Evangelistæ.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56262](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56262)

IN FESTO S. MARCI  
EVANGELISTÆ.

## Partitio.

1. De ipsis quatuor Evangelistis.
2. De quaternarij mysterio rerum Ecclesia multiplici.
3. De mysterio quatuor animalium.
4. De precellentia Evangelistarum præ Veter. Testam. conditoribus.
5. De S. Marco historia.
6. De symbolico ipsius Leone.

Designavit Dominus & alios septuaginta discipulos, &c. Luc. 10.

## FIGURA.

Apo. 10.

Vidit Ioannes in Apocalypsi nouū quoddam Angeli genus, & qualis nullus in vniuerso Scripturæ theatro apparuisse comperitur; vt qui maximū clamorem etiam Leoni per deserta rugienti per similem emisisse; libellum quoq; apertum manu tenuisse, pede dextro mare, sinistro terram pressisse. Mysterium hoc mecum vbi excurio, omnesque circumstantias illius dum sigillatim enucleo, ipse mihi certo certius persuasit, veram hic D. Marci Evangelistæ imaginem ac figuram nobis ob oculos poni. Angelus quippe dicitur, quod angelico ritu vitam duxerit, vires illius & rugitus ad prædicationem, & ad Leonis figuram, quæ vulgo ei inter ceteros Euāgelistas à pictoribus tribui solet. haud inepte quis transferat, libellus quem Angelus manu gestasse scribitur, Euāgelium illius designat, quod ceterorum Evangelistarum respectu exiguum est, atq; ideo compendium & Epitome Euangelij S. Matthei à nonnullis appellatur. Quod autem pedum alter super mare & super terram alter extensus dicatur, nō aliam huius rei rationē dari posse puto, quam quod gloriosus hic Apostolus obsequio suo & cultui dedicatas duas orbis tum potentissimas, tum etiam pulcherrimas vrbes habuerit, vnā in terra & continenti constitutam, Alexan-

driam videlicet totius Ægypti caput; alteram vero in mari, noua sane ædificandi ratione, constructam, Venetias. Hæc vnico tantum discrimine, quod pes dexter huic innixus sit, quæ hæctenus feliciter auitam maiorum fidē inuiolatam, integramq; conseruauit; sinister vero illi, quæ deploranda proh dolor! ruina eadem excidit, & misere in fide ac Religione Christiana naufragium fecit.

Ceterum omnia quam aptissime coincidunt, vt vero singulas similitudines conuenientialque vobis declarem, & gloriosi huius Evangelistæ cœlo jam donati triumphum deprecem, ad cœlum oculos conuertemus, & genua in terra supplices prosternamus, gratiam sanctissimi Spiritus quam humillime deprecaturi, vt vero Deipara suis apud illū nos intercessionibus adiuuet, nostras illi preces offeramus, & omnes salutatione illam Angelica compellemus.

## AUE MARIA.

Celebris Hebræorum legislator Mysteriorumque diuinorum interpres Moyses, verus Iudæorum Tabernaculum describens, quatuor vt columnas de lignis setim constitueret, easq; auro conuestiret, quarum capitella etiam aurea & bases argenteæ forent, a Deo sibi mandatum fuisse affirmat; è quibus magnum velum ex hyacintho, purpura, cocco bis tincto, & bysso retorta, eleganter & artificiose & pulera varietate contextum depēderet. Quod appendens ante quatuor columnas de lignis setim, quæ ipsa quidem deaurata erunt, & habebunt capita aurea, sed bases argenteas, &c. Origenes & quotquot locum hunc tetigere, eiusque mysteria inuestigarunt, paucis exceptis, per quatuor hæc columnas tabernaculi, quatuor Evangelistas Ecclesiæ nostræ designari credidere: ipsi enim sunt veluti quatuor fulcra & sustentacula de lignis setim composita, id est, viri vitæ incorruptibilis, & virtutibus varijs circumquaque deauratis; quorum capita aurea sunt, quod non nisi mera charitas; bases vero argenteæ, quod in sapientia quadam cœlesti fundati ac stabiliti sunt; atque è quatuor his magnum secretorum

I.  
Exod. 36.

Quatuor Evangelistæ per 4. columnas tabernaculi Mosaiici designantur.

rum velamen dependet, quo sancta sanctorum reguntur, quod pro temporum, locorum, personarumque diuersitate cœlestia ac diuina mysteria tegant aut detegant, obseruent vel referent.

Exod. 25.

Lib. 4. in  
Exod. c. 5.

Psal. 18.

Exod. 18.

Quatuor Euangelistæ denotati per quatuor scyphos candelabri tabernaculi.

Psal. 18.

Zach. 1.

Quatuor Euangelistæ quatuor fabris Zachariæ similes.

Idem ipsi designati fuere per quatuor illos circulos, aut annulos aureos, qui in quatuor angulis mensæ propositionis viscebantur, de quibus Exod. 25. *Et quatuor circulos aureos, quos ponet per quatuor angulos.* Hæc est expositio Ruperti & aliorum, qui hocce mysterium explicantes, quatuor Euangelistas aurearum ansularum instar fuisse aiunt, qui circumsecus sacram Christi humanitatem, sacram inquam mensam propositionis, in qua nimirum Pater cœlestis gratiæ delicias proponit, sustinebant, quam diuina Ministrorum suorum verbo prædicatione sua, scriptis per quatuor mundi angulos detulere, si Psalmistæ credere voluerimus, dicenti, *In omnem terram exiit sonus eorum.*

Penitius etiam profundiusque in Tabernaculum Mosaicum progrediens inter cetera superbum ibi candelabrum inueor: cuius in hastili quatuor scyphos & quatuor sphaeras aureas contemtor. Textus verba sunt hæc, *In ipso autem candelabro erunt quatuor scyphi in nunciis modum sphaerulæ, per singulos & lilia.* Singula hæc sancta quaquam meditatione examinando, crediderim, sicut per candelabrum Ecclesia, per hastile verò Christus denotatur, ita scyphis illis ac sphaeris aureis Euangelistas designari, in illos enim, velut in quatuor pretiosas pateras diuina Saluator mysteria infundit; & per illos veluti per globos ac sphaeras cœli nobis motus denotantur; de illis n. non minus quam de Apostolis illud Psalmographi dici queat, *Cœli enarrant gloriam Dei.*

Apud Zachariam Prophetam quatuor describuntur fabri, quos Dens Prophetæ spectandos dedit, *Et ostendit mihi Dominus quatuor viros.* Magnus Doctor Hieronym. locum interpretatus ait, existimasse nonnullos per quatuor hosce fabros quatuor Euangelistas denotari, qui fabrorum instar sancta quædam arma aduersus hereticorum rabiem, paganorumque superstitionem & gentilem cœcitatem fabricarunt. Audire quid sanctus hic Do-

ctor scripserit: *Legi in cuiusdam commentariis per quatuor fabros quatuor Euangelistas intelligi.* Ipse quidem scio per quatuor hosce fabros quatuor virtutes cardinales designari, quas quatuor animæ passionibus, per quatuor cornua, quæ eodem tempore Propheta viderat, denotatis opponit, sed hoc non impedit, quominus quatuor etiam Euangelista per fabros hosce denotentur.

Sub alterius ænigmatis vel potius emblematis inuolucris spectandos eos proponit Propheta Abacuc, cum de quadriga & curru triumphali, quo Dei diuinitas inuehitur, & a quo hominum salus ac liberatio dependet, agit, verba sunt, *Qui ascendit super equos, & quadriga tua saluatio.* Sanctus Augustinus inter primos locum hunc explicans, & quidē mystice, ait, generosos hosce equos & currum triumphalem quatuor rotis inuectum, Euangelij Dei imaginem præferre, quod quatuor magni secretarj, id est, quatuor Euangelistæ, scripsere & diuulgauerunt, qui & manu & lingua Christum triumphantem & gloriosum per quatuor mundi plagas detulere: currus autē hic *quadriga saluatio* nuncupatur. Euangelium enim Dei omnibus, qui credere in ipsum voluerint, saluti est.

Cum hac expositione coincidit sententia veteris cuiusdam scriptoris, cuius S. Hieron. in sextum Zachariæ caput commentatus meminuit; qui quatuor illos currus, quos olim Propheta vidit (quorum primus equos habebat rufos, secundus nigros, tertius albos, & postremus diuersicolores) examinans, quatuor Euangelistas accommodat.

*Legi, inquit Hieronymus, in cuiusdam volumine, quatuor hos quadrigas quatuor esse & euangelia, & equos Apostolos, per diuersitatem cœlorum diuersas gratias possidentes.* Ac deinde quatuor hos equorum colores morali sensu exponens ait, primos ob martyrio effusum sanguinem rubicundos esse, alios ob difficile & tenebrosam mysteriorum fidei prædicationem nigros, tertios ob virginitatem candidos, postremos denique ob donorum, gratiarum virtutumque cœlitus collatarum diuersitatem diuersicolores.

Hactenus hæc exordij & introitus loco egre-

4. Euangelista per quadrigam Abacuc denotantur.

gregiis figuris & tropis condecorata, idq; occasionem sancti Marci, qui vnus de numero quatuor horum Euangelistarum: cuiusq; hodierna die solennitatem celebramus. Hoc autem Ecclesia Euangelium hodie legit, *Designauit Dominus & alios septuaginta duos.* Ad huius honorem vt egregium quid & festo dignum afferam, idq; methode ordinaria, primo in genere de quatuor Euangelistis loquar, deinde singularim ad S. Marcum velut ad cœlestis huius cohortis primipilum descendam.

II.  
Nonnisi 4.  
Euangeliste.  
Lib. de pif.  
mundi & l. 3.  
de viadofis

Primo igitur cum Ecclesia vniuersali credimus, nonnisi quatuor Euangelistas esse, velut quatuor diuinos notarios & generales totius reipubl. Christianæ religionis secretarios. Non sine ratione autē Deus in hunc eos numerum cōtraxit, nam, vt ait Philo Iudæus, numerus quaternarius perfectissimus est, ac primus eorum, qui de natura corporis solidi participant; vnitas respondet puncto, binarius lineæ, ternarius, qui ad latitudinem spectat, superficiæ, & quaternarius, qui altitudinem signat, corpori solido. Atq; ideo aliasq; ob rationes, sancti Euangelistæ sæpenumero per hunc numerum in sacris denotantur: vt in primis in ipso Genesios limine, vbi de quatuor magnis fluminibus sermo est, quæ e paradiso terrestri scaturientia, aquis suis omnē terræ faciem irrigabant, *Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandū paradysum, qui inde diuiditur in quatuor capita.* Terrestris hic paradysus Ecclesia est, ingens qui ex eo prorumpit fluuius, ipse Christus, de quo scriptum: *Fluminis imperius laticat ciuitatem Dei.* Quatuor porro capita, in quæ dispertitur, quatuor Euangelistæ sunt, qui magnorum ac turgentium fluminum instar, doctrinæ suæ irriguo omnia terrarum climata irrigant. Atq; hoc modo interpretatur S. Hieronym. *Ecclesia quatuor flumina, paradysi instar eruens, id est, quatuor Euangelia.*

S. Hiero. in  
Prol. Matt.  
Exod. 28.

Venit mihi hic in mentem eius, quod in Exodo scriptum est, is quo habetur Moyfi Deum præcepisse, vt rationale iudicij faceret quadrangulum, cui duo illa verba, doctrina & veritas insculperet, vtq; summus Pontifex Aaron in pectore suo hoc gestaret. *Rationale quoq; iudicij facies opere polymito, est quadrangulum.* *Bessai tom. 3. De sanct.*

*lum erit & duplex.* Excellentius modo iudicij Euangelii Rationale habemus, Euangelium, inquam, collatum rationem instruit, docetque sincere & rationally. Ponit candidè de omnibus rebus diiudicare. Huic tificis, quod insculpta sunt Doctrina & veritas: quæ enim erat quadræ dignior & eminentior doctrina Euangelica? quæ veritas etiam certior & diuinior? quadrangulum porro est, id est, quatuor formas ostendit, quod nonnisi quatuor sint Euangelistæ, quæ figura solidissima est, quæ nec inferni machinas, nec mundi persecutiones reformidat.

In huius res signum refert in Apocalypsi Ioannes, vidisse se ciuitatem admirabilem in quadro fundatam, *& ciuitas in quadro posita est, & c.*

Ecclesia vera quædam ciuitas est, & ciuitas, de qua tot mirabilia referuntur, *Gloria facta sunt de te ciuitas Dei.* Atq; hæc in quadro posita; tum ad firmitatem immobilitatemq; tum ad quatuor Euangelia, quibus illa velut validis quibusdam columnis innititur, designanda.

Quibus egregie admodum illud Gregorij de Conciliis generalib. prolatum aptari queat, *In his velut in quadrato lapide sanctæ fidei structura consurgit.* Fidei enim quatuor Euangelistarum omnis fides & Ecclesiæ religio innititur.

Li. 1. epist. c. 4

Augustinus libro 1. de consensu concordant. *Lib. 1. de consensu Euangelistarum, quatuor hosce Secretarios quatuor totius orbis terrarum partibus c. 2.*

assimilat; ait enim, *Ob hoc fortasse quatuor sunt Quatuor Euangelistæ quonia quatuor sunt partes orbis terre: quatuor orla: per cuius vniuersitatem Christi Ecclesiam dilataturi, ipsi sui numero i sacramento declararunt.* Atque hoc ipsum Principi Apostolorum sub aliâ quadam figura representatum fuit, Acto- rum capite 10. cum Deus linteum quoddam magnum cælo descendens omni animantium genere refertum, & quatuor extremitatibus in terram dependens illi ostendit. Quatuor hæc extremitates, ceteris omissis, Apostolo huic significabant, quatuor mundi angulos omne hominum genus complectentes, ad Christi fidem conuertendos, & Christiana religione inabundos.

Acto. 19.

Inuentū hoc approbavit iam olim sanctus Irenæus, atq; quem admodum quatuor vni-

Lib. 3. c. 11.

Acto. 19.

Lib. 3. c. 11.

Quatuor  
Euangeli-  
sta sunt 4.  
venti & Ec-  
clesiæ bases.

Quatuor  
item ele-  
menta Ec-  
clesiæ.

Apoc. 7.  
Quatuor E-  
uangelista  
per 4. An-  
gelos Apoc.  
denotati.

uersi partes sunt, Oriens, Occidēs, Septem-  
trio & Meridies, & quatuor venti principes,  
qui ē quatuor hisce partib. spirant; ita quoq;  
Deum statuisse, vt in Ecclesia quatuor spiri-  
tus vitæ dominantur, & quatuor bases fo-  
rent primariae, quibus omnis illius moles in-  
cumberet, quatuor inquam Euangelistæ. Ver-  
ba quæ proferantur digna sunt: *Quoniam qua-  
tuor sunt regiones mundi, in quo sumus, & quatuor  
principales spiritus, & disseminata est Ecclesia su-  
per omnem terram: columna autem & firmamen-  
tum Ecclesiæ est Euangelium spiritus vitæ, conse-  
quen: est, quatuor habere eam columnas, quatuor  
inquam Euangelistas.*

Hosce conceptus profecurus assero, quod  
quemadmodum in mundo quatuor elemen-  
ta sunt, quæ veluti summi præfides, à quorum  
natura omnis rerum natura dependet ac regi-  
tur; Ignis, aër, aqua & terra, quæ in omnium  
rerum compositionem ingrediuntur, & sine  
quibus nemo in orbe viuere potest, ita quoq;  
Ecclesia quatuor habeat Euangelia, vclut pro-  
pria sibi elementa, à quorum virtute & insu-  
entia omnis anima salus hic dependet: inter  
hæc S. Ioannes maxime sublimis est, & igni  
ardenti similis, quæ ad vsque diuinitatem per-  
tingit, & profunda mysteria enucleat. S. Lu-  
cas omnium infimus, terramq; representans,  
perq; bouem, quod animal terreste terram-  
que excolere natum, designatur; Noster au-  
tem Marcus per aerem deuotatur, vtpote qui  
à clamorib. & rugitu Leonis, quæ voces suas  
& sonitus per aera reboantes in aere efforma-  
ti, inque aerea regia dominantur, Euange-  
lium suum exordiat.

A Physicis conceptus hic præceptionibus  
efformatus est, at ecce iam alium ē Theolo-  
gorum sermone depromptum. Septimo Apo-  
calypseos cap. scripsit Ioannes, apparuisse si-  
bi quatuor Angelos, stantes super quatuor  
orbis cardines, quatuorque ventorum habe-  
nas manu tenentes; *ostea vidi quatuor Ange-  
los stantes super quatuor angulos terræ tenentes qua-  
tuor ventos terræ.* Quatuor hi spiritus cælestes  
quatuor haud dubie Euangelistas designant,  
nam velut nunciij legatiquæ quidam diuini-  
tatis, mundo vniuerso, Filij Dei in mundum  
aduentum natiuitatemq; nuntiarunt.

In Exodo iussit Moyſi Deus, vt quatuor *Exod. 28.*  
aureas anſulas faceret; easq; arcæ angulis, quo  
de loco in locum facile deferri posset, infere-  
ret; *Et quatuor circulos aureos, quos pone per qua-  
tuor arca angulos.* Quid hoc sibi mysteriū vel-  
let, mecum ipse perpendens, Patresq; veteres  
in consilium adhibens, inter ceteros video  
Gregorium dicere, per Arcam hanc Ecclesiā  
designari; per quatuor illos circulos quatuor  
Euangelistas, quorum adminiculo sancta illa  
Dei arca, velut anſulis quibusdam, à Docto-  
ribus & Prædicatoribus, per vniuersum ter-  
rarum orbem circumferretur, audite eiusdem  
verbis quæ ipse concepi, exponi, *Ecclesia qua-  
tuor angulos habet, id est, Euangelia, per quos quasi  
arca testamenti, & cullos legis Domini vehitur.*

Omnes hæ figuræ egregiæ mihi & exqui-  
sitæ videntur, sed quo profundius scriptura-  
rum adyta ingrediatur, admirabiliores etiam a-  
lias reperio; & imprimis vnā in libro Apoc. *Apoc. 4.*  
quæ quamuis communis & omnibus aperta  
videatur, tamen bene considerata & mature  
perpensā, ceteris videtur antecellere. Hic vi-  
diffe se Ioannes ait circa thronum agni qua-  
tuor animalia plena oculis ante & retro & in-  
trinsecus, sex alis cooperta; quorum primum  
simile Leoni, secundum vitulo, tertium ho-  
mini, & quartum simile Aquilæ volanti; *Et  
in medio sedes & in circuitu sedis quatuor anima-  
lia plena oculis ante & retro, & animal ad pri-  
mum simile Leoni, & secundum simile vitulo.* Vi-  
sio hæc nō multum ab Ezechielis visione dif-  
ferebat, quam is primo Prophetia suæ capite  
vidit.

Scio Lyranum, dum quatuor hæc animalia *III.*  
mystice exponit, per eadem quatuor sedes *Quatuor*  
Patriarchales intelligere, Hierosolymitanam sedes Patri-  
scil. in Leone figuratam, idq; propter constā archales  
tiam Apostolorum, qui audacter & confi- *per 4. Apoc.*  
denter sine villo tormentorum minaturque animalia,  
metu Iesu Christi resurrectionem prædica- *denotata.*  
bāt: deinde Antiochenam in boue denotatā,  
quod obediens, & morigera, iugum Aposto-  
lorum, Hierosolymis commorantium, subire  
non detrectauerit, atq; hac in vrbe discipu-  
li, vti in Actuum historia describitur, credē- *A. 10.*  
tes primum Christiani appellati sunt. Terti-  
am Alexandrinam, quam facies hominis de-  
signa-

signabat, eo quod plurimi viri docti, & in omni sciētia ac disciplina celebres Alexandriae floruerint, eamq; celebrem reddidere, inter quos eluxere Athanasius, Clemens & Cyrillus Alexandrini. Quartam deniq; Constantinopolitanā, cuius imago fuit Aquila, quod illa viros rerum diuinarum contemplatione celebres, ac sublime euolare meditando affectuos educarit, quales Ioannes Chrysostomus, Episcopus Constantinopolēos, tamen Antiochia natus, S. Gregorius Nazianzenus & alij plurimi.

*Et 3. de Virg.  
4. Virtutes  
Cardinales  
per anima-  
lia Apoc.  
denotatur.*

Aliter hoc exponit Ambrosius, aitque per quatuor hęc animalia quatuor virtutes significari cardinales; per Leonem quidem fortitudinem, qui fortissimus & potentissimus animalium est; per vitulum iustitiā, per aquilam temperantiā, adeo enim sobria & temperans esse dicitur Aquila, vt etiam stimulantē fame nullam sit prędam deuoratura, nisi quam ipsa ceperit; per hominem vero prudentiam: homo enim hac virtute si caruerit, non homo, sed bestia est.

*In Procem.  
D. Hier super  
4. Euang.*

Huic opinioni refragatur Abulensis, aliamq; viam longe diuersam insistens, quam tamen Rupertus Pannonius, Arctas & Glossa ordinaria institerit, credit: per quatuor hęc animalia, adeo & moribus & schemate externo a se inuicem discrepantia, mystice Christū ipsum designari, in quo solo omnes illas facies simul contineri ait. Verus n. homo fuit, dum carnem humanam induit; bos, qui solita sacrificiorum victima, in passione, Leo in resurrectione, aquila vero in ascensione.

*Christus in  
4. his ani-  
malibus  
designatus.*

Omnes hęc conceptus expositionesq; magui, vt debeo, facio; tamen communis opinio, quam sequi oportet, quamq; plerique Patrum etiam secuti sunt, est, quatuor hęc animalibus, quatuor Euangelistas designari. Ceterorum testimonij omnis vnicum producam Hieronymum, qui mysteriū hoc exponens, ita hęc animalia vniciq; applicat, *Prima hominis facies Matthæum significat, quia quasi de homine exorsus est. Liber generationis Iesu Christi, & c. Secunda Leonis Marcum, in quo vox Leonis in eremo rugientis auditur, cap. 1. Vox clamantis in deserto, parate viam Domini Tertia bouis Lucam, quod a sacrificijs & sacerdote Za-*

*In Procem. su  
per Euang.  
Matth.*

*charia exorsus sit Euangelium suum. Quarta deniq; Ioannem, quod velut aquila aie. assumptis ad sublimia euolans, d. verbo eterno disputauit, deq; diuina Messie generatione late disseruit.*

Hęc quatuor Euangelistarum figura ac representatio mirum in modū mihi aridet, animalia o- eamque alijs infinitis præponderare cenſeo, culos ha- rum ob rei ipsius dignitatem, tum ob circū- buerint in- stantias, quę eidem adherent; imprimis in- tus & ante, eo, quod dicuntur hęc animalia plena esse o- culis ante, retro atque etiam intus, cuius my- & retro. sterij egregia & luculenta adferuntur à multis rationes. Prima ob perfectam mysteriorū fidei sacris Euangelistis communicatam cog- gnitionem; ante quidem, quod scientia rerū futurarum donati essent: retro vero, quod præterita vt præsentia intuerentur ac perspe- cta haberent; intus denique, quod cogitationes & animi conceptus pura & recta discre- tione moderentur. Huius expositionis auctores habeo S. Augustinum, Venerabilem Bedam, & Richardum de sancto Victore. Altera, animalia hęc habebant oculos antor- sum, & retrorsum, vt hinc euidenter appare- ret, Euangelistas omnia tum veteris tum noui Testamenti mysteria Sacramentaq; conti- nere, quod fides, quam vtrumque hoc testa- mentū denotat, omne tempus tum futurum, tum præteritum, tum proximum distantia complectatur.

Occasione quatuor horum animalium e- gregium in libro Numerorum detego my- sterium: Trib. Israeliticæ cum in terram promissionis per desertum Arabia contenderēt, & castrametanda circa vesperam esset, in quatuor partes ac veluti signa vniuersas copias disperserunt. Ad Orientem regia trib. Iuda cum Ilaſchar & Zabulon castrameta- bantur, ad Meridiem Ruben, Simeon & Gad; Occidentem spectabant Ephraim, Manasses & Benjamin; Dan vero & Aſer & Nephtalim in Septentrionem vergebant: adeo vt ingens hoc agmen in quadrum semper esset dispositum, ac velut sub quatuor ducibus primipi- lisq; constitutum; quib. Rabbi Abraham, referente Abulensi, quatuor illas Ezechielis figuras, & Ioannis animalia accommodat; Iudæ vexillo appingens aquilam, Rubenita- rum

rum hominem; Ephraimi leonem; Danitarū vitulum, atq; hæc reuera animalia in omnibus hæc vexillis inscripta fuisse. Alij etiam aliter interpretantur, dicentes, in vexillo Iudæ fuisse leonem, ob id quod in Genesi scriptum legitur, *Catulus leonis iuda*: hominem in Rubenitarum, quod primus homo fuerit è stirpe Iacob prognatus, & filius illius primogenitus, vituli in Ephraimitarum, quod filius Iosephi fuerit, cui hoc Moyses in Deuteronomio elogium dedit, *quasi primogenitum tam pulchritudo ei*: serpentis vero in Danitarum, ob id quod in Genesi legitur, *fiat Dan coluber in uia, ceras es in semita*.

Gen. 49.

Deut. 35.

Gen. 49.

Figura.

Cant. 6.

Qui propius fundum, essentiam, & omnes mysterij huius circumstantias perspexerit, videbit haud dubie Ecclesiæ hanc aciem figuram fuisse, hoc enim modo de illa Salomon in Canticis locutus est: *Terribilis ut castrorum acies ordinata*. Iam vero sub quatuor primarijs vexilliferis, i. e. in fide & doctrina quatuor Euangelistarum in mundi huius solitudine locata est, primum castrorum vexillum hominis imaginem gerit, id est, sanctus Mathæus, secundum leonis, quod Marcus, & sic de alijs. Ad quorum honorem cum te egregias de numero illorum figuras jam produxero, procedam ulterius, atque hic breuitatem conseruando, de illorum dignitate nõ nihil agam, omnesque ad eorum laudes decantandas mirabiliaque demiranda excutabo.

Dignitas, eminentia & maiestas quatuor horum secretariorum factorum hinc colligi primo potest, quod dignius & excellentius Testamentum, quam olim Moyses alijsque Prophetæ a Deo acceperint, conscripserint & tradiderint: in hoc enim quod Euangelista conscripserit, omnes iustificationis nostre conditiones, & remissionis peccatorum omnium hominum literæ continentur, quos Moyses articulos nunquam ausus fuit conscribere, aut Prophetæ suis promittere. Neque enim lex verus ex se peccata remittere potuit, Euangelio enim hoc reseruatum erat. Testatur hoc Apostolus ad Galat. *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro*, id est, nulla caro; hoc est, nullus operibus legis veteris ad iustificationem pertingere potuit. Cuius rei figuras,

IV.

Euangelistarum dignitas Moysi & Prophetis maior.

Gal. 2.

duas in aciem producam, è veteri Testamento vnã, è nouo productam.

Giezi Elizæ seruus cum baculo Prophetico ad Sunamitidis ædes destinatus, filium illius mortuum ad vitam reuocaturus, nihil omnino efficere potuit, sed operam lustræ, nec mortuus puer ad vitam reuertitur; adeo ut ipsū Prophetam venire necesse fuerit, qui nullis armis, baculo nullo instructus, in defunctum superincumbens, membraque defuncti membris singula adaptans, dulci quodam spiramine vitam illi simul & animam reddidit. Defunctus hic erat homo peccato mortuus, Sunamitis Ecclesiæ, Giezi seruus quis alius quàm Moyses? qui à Deo cum dura & cruda legis antiquæ virga missus nihil omnino quoad peccatorum abolitionem, & hominis iustificationem efficere potest, adeo ut ipsum Dominum, Christum Iesum scilicet descendere necesse fuerit: ipse igitur venit non virga, nõ baculo instructus, atq; inhumanitati nostræ superincumbens, natureque humanæ membris sese accommodans, leuissimo Spiritus S. habitu ac celesti spiramine, sanitatem, salutem & vitam homini reddidit. Hoc scilicet Euangelio reseruatum erat.

Alteram figuram in Luca Euangelio videte est, idq; sub tragica cuiusdam historia inuolucris, in qua miserellus quidam per Hierichuntis desertam iter carpens, in barbarorum latronum manus incidit, quo omnibus illum vestibus despoliauerunt, grauiam illi vulnera infixere, ac seminecem in loco deseruere. Et ecce dū plures per viam illam descenderent, hominemque quidem cernerent, sed non mouerentur, alios inter venit & Sacerdos, ac deinde etiam Leuites, postremo etiam Samaritanus. Primi duo nullo ad miserum respectu habito pertransierunt; sed solus Samaritanus misericordia motus intrinsecus, illum in iumento posuit, ad proximum diuersorium deduxit, illiisque diligentem à Medicis haberi rationem voluit. Miser hic viator faucibus & nudus fuit protoplastus Adam; latrones qui illum despoliarunt, & tam male habuerunt, peccata; despoliatio fuit gratiæ amissio, vulnera excaecatio mentis, voluntatis peruersio, concupiscentiæ infirmitas, & carnis rebellio. Atque

4. Reg. 4.)  
Figura.

Luc. 10.

Adam vulniferato huiusmodi.

que ita semianimis, nihil præter nudam naturam habens, quæ nonnisi media vita est, eum quinq; annorum millibus in loco miser iacuisset: transijt Sacerdos & Leuites, qui calamitatē quidem eius videre, id est, lex vetus & Sacerdotium, sed pertransierunt, nullumq; agro leuamen attulere. Aaton velut summus sacerdos præterijt, & Moses vt Leuita, neuter tamen vllam miscello peccatori opem attulere. At Christus Dominus, quem toties Iudæi Samaritanū appellarunt, (Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es?) cum tandē Euangelij tempore transiret, miser peccatoris miserus est, vulnera alligauit plagas abstulit, & integram sanitatem attulit. Qua figura denotatur, iustificationem & peccatorum remissionem veteri legi denegatam Euangelio referuari: cuius cum Euangelistæ secretarij fuerint, magnam eorum dignitatem & eminentiam esse, euidenter apparet.

Denique horum commentatorum & notariorum dignitas ex hoc etiam spectari potest. Quidquid scribere & consignauere, perfectum instrumentum est, & legem penitus perfectam continens, cum qui scribendo illos præcessere, nihil omnino recepere ac scribere præter legem imperfectionibus & erasionibus obnoxiam, qualis Mosaica fuit, & qualē Prophetæ prædicarunt. Quod ex mente D. Pauli afferro dicentis, Repr. batio sic precedentis mandati (id est, veteris Testamenti & legis) propter infirmitatem eius & inuilitatem, nihil enim ad perfectum adducit Lex. at dum de iis quæ Euangelistæ nostri scribere loquitur, legem potentem, virtute plenam, salutemq; omni, qui eam amplexus fuerit, afferentem appellat. Ita enim in epistola ad Romanos loquitur. Non erubesco Euangelium, virtus enim Dei est, ad salutem omni credenti.

Tertio, honor, gloria, & excellentia Euangelistarum hinc patet; quod contractus & Testamentum, quod scribere, omni orbi vtile fuerit, adeo vt coelestia & aeterna promittat, cum vetus nonnisi temporalia & terrestria sponderet. Deinde quod hoc testamentum Patris pro Filio, dedit eis potestatem filios Dei fieri; illud vero nonnisi Domini pro Ser-

uo: ita quippe mihi præiuit Apostolus, non accepisti Spiritum seruitutis iterum in timore, inquit, sed accepisti Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater. Quem loquitur Theodoret. exponens, ait: Appellat Apostolus seruitutem, quæ sub lege veteri agitur. S. Augustinus vtrinq; complexus ait, in gl. ria liberorum.

Quarto, sanctorum Euangelistarum eminentia eo etiam nomine extolli debet, quod angelistæ Deus illos ad legem amoris, gratiæ, remissionis, & omnium criminum indulgentiæ & amæctiæ conscribendam selegent: cum quidquid alij ante illos scripserint, timore, rigore, iustitia, decretisque grauib; & intolerabilibus plenum fuerit. Atque ideo fortasse hæc amoris lex in die Pentecostes promulgata fuit, quo die Spiritus sanctus cælo descendit, qui est amor & simul illius auctor & origo, qui & legislator eam promittens, ait, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis grauiissimo legis veteris onere; Et ego reficiam vos, Mosaicarum constitutionum pondere excusso. Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde, videte vt iam non amplius cingat ignibus, nubibus & tempestatibus, videte me iam non in sonitu buccinæ & tonitru, vt olim in monte Sinai, loqui ac docere, sed benigne ac suauiter vobiscum agere, verbis mellitis & corde gratiam & misericordiam spirante.

Atq; ideo nouum Testamentum per Euangelistas receptū, onus leue dicitur, Mosaicarum vero, iugum graue, intolerabile & durum. Quod etiam confirmo: in primis enim in Euangelio de lege sua legislator ait, Iugum meum suauis est, & onus meum leue. Deinde in Actis Apostolorum Princeps ita illos, qui Christianos ad legem Mosaicam seruandam compellere conabantur, alloquitur: Quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod nec Patres nostri, nec nos portare potuimus? Quare in huius rei signum Moysis manus graues & conderosæ fuisse dicuntur, quod grauem & intolerabilem legem hominibus attulissent. Atque huc habito respectu dixit olim Augustinus, legem veterē sarcinam esse v. t. obseruationum. Iam gra-

non Rom. 8. In cap. 8. ad Rom. Contra Adimantum. c. 16.

Quod Euangelistæ scripsere, amore plenum est.

Matt. 11.

Nouum testamentum onus leue.

Act. 15. Exod. 17.

Serm. 9. de verb. Dom.

Euangelij lex perfecta

Heb. 7.

Rom. 1.

Euangelium lex est filialis, vetus seruilis.

Iam. 1.



Legis veteris porro & durum onus hoc legale fuit, ut in iis mandatis Mosaiico digesto sexcenta & tredecim prætorum numerus.

Mosaiico digesto sexcenta & tredecim præcepta continentur, scilicet ducenta quadraginta octo affirmatiua, & trecenta sexaginta quinque negatiua. Euangelista igitur fuit, qui Mosaiicas à nobis obseruationes abstulere. Atq; ideo eorum dignitatem excuiamus profundius.

**Euangelistarum dignitas quod testamentum Messia acceperint.** Quinto in eo existere mirabiles, quod ipsum testamentum Filij Dei vnigeniti recitare, omnia Ecclesie negotia pertractare, Sacramenta & mysteria omnia conferbere, vitam, mortem, prædicationes, miraculaque Messia digerere, mundi redemptionem, pacem inter Deum & hominem conciliatam, peccatorum remissionem, cælorum apertionem, aliaq; magni momenti notare, ac præsertim legem, quam ipsemet Christus Dei Filius attulerat, committere scripto digni habiti sint, cum veteris ac Mosaiica, non nisi per Angelos in monte Sinai lata fuerit. Testatur hoc etiam Ioannes dicens: *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Quin & in Apostolorum Actis. *Accepit legem in dispositione Angelorum, & non custodisti.* Et Apostolus epist. ad Galat. *Lex, inquit, ordinata per Angelos.*

*Ioan. 1.*

*Act. 7.*

Non hic controuertio an Moyses à manu Dei legem receperit, an vero per Angelum, alijs hoc relinquo, mihi suffecerit loca hæc velut valida contrariæ sententiæ argumenta attulisse.

**Euangelicum testimonium præponderat Angelico.**

Sexto denique sacri hi sanctissimi Spiritus scribæ, & religionis nostræ protonotarij in hoc laudem & præconium merentur, quod quidquid scripserint consignarintque, verissimum & certissimum sit, adeo ut illorum signa testimoniaque Angelicis etiam assertionibus præferenda sint. Docuit hoc me Apostolus, qui legis Euangelicæ veritatem exaggerans, spirituum cælestium verbo eam præferendam tradit. Audite quid ad Galatas scribat, *Licit nos aut Angelus de cælo euangelizet et vobis præterquam quod euangelizamus vobis, anathema sit.* Anne audacius, liberius, mirabiliusque loqui poterat Paulus, & altius veritatem Euangelicam extollere? Sane Angelus ab infernis sedibus prodiens, mentiri ac fallere potest, non vero Angelus

*Gal. 1.*

cælo descendens. Hac tamen hyperbolica loquendi libertate & exaggeratione vltus est, ut constantem & infallibilem eorum, quæ Euangelista scripsere, certitudinem demonstraret; in ore enim Angeli potius falsum & mendacium reperias, quam in verbis Euangelij; hoc enim qui diceret, nã ille Deum fallacem mendacemq; statueret, in cuius suprema ac sincera veritate omnis Euangelij veritas stabilicitur.

Chrysostomus hunc locum componens *In 1. ad Gal.* ait: *Etiam ipsi Angeli, inquit, à cælo descendentes præponit Paulus scripturæ, idque sæculi congruente. siquidem Angeli, quam ibi magni serui sunt & ministri: ceterum omnes scripturæ non à seruis, sed ab vniuersorum omnium Deo ad nos venerunt.*

E quib. omnib. efficitur, excellentiã sanctorum Euangelistarum eximiam esse, cum ipsi secretarij fuerint, qui omnes fidei nostræ articulos consignarunt: S. Spiritus calami, per quos omnia mysteria scripta sunt, præcones & buccinæ, q̄ per omnes terrarum regiones. Incarnationem, passionem, resurrectionem & admirabile Messia ad cælos ascensum diuulgauerunt; & sane illorũ dignitas singularis est, si milemque non habuit, utpote qui Moysæ excellentiores & maiores fuerint. Moyses n. non nisi imperfectã & rigidam, & grauem quæ maxime legem dedit, quæq; seruorum erat, ac tandem penitus abolita est: hi vero perfectam, amoris & dulcedinis plenam, leuem, oneris expertem, honeste libertati innixam, quæque in æternum duratura est. In cuius rei figuram vidit Ioannes in Apocalypsi Angelum per medium cæli volantem, quique Euangelium æternum haberet, *vidi alterum Apoc. 14. Angelum volantem per medium cæli, habentem Euangelium æternum.* Quin & ipse Christus legislator hoc asserit, dicens; *Hic est calix Luc. 22. sanguinis mei noui & æterni Testamenti.* Per nouum hoc & æternum Testamentum Euangelium intelligit.

Deniq; eorum dignitas & splendor satis exprimi nequit, cum tantis eos Deus priuilegijs donauit, ut omnia Filij Dei secreta, omnem Religionis nostræ ordinem conscripserint, eorumque tanta sit veritas, ut angelico testimonio præponderet. *Quamobrem hæc, quæ*

quæ in genere hic dixi, modo sufficient, atque ita priori parti satisfacere, ut singillatim ad sanctum Marcum deinde, qui vnus è numero quatuor illorum secretariorum fuit, descenderem, eiusque merita virtutesque separatim describerem, quæ altera concionis pars futura est.

S. Marcus dicitur S. Petri filius.

S. Marcus igitur natione Iudæus, scientia clarus, post Christi in cælos ascensum, Iudeorum superstitione relicta, veritatemque Evangelicam amplexus, principi Apostolorum se comitem adiunxit, eumque Romam vsque, velut pastorem ouis, doctorem discipulus, & patrè filius secutus est: tamque familiaris summo Pontifici fuit, suum ut filium ille diceret, ita quippe in Epistola sua scripsit, *salutar vos Marcus filius meus*. Filium dicit, quod illum in spiritu genuisset, Evangelio peperisset, suisque eum manibus baptizasset.

1. Petr. 5.1.

Alij longius à veritatis via recedentes, illius ortum inuestigare conati, existimarunt, Ioannem Marcum, armenem Barnabæ Apostoli, cuius in Actis Apostolorum habetur mentio, eundem esse cum Marco Evangelista: ita sibi persuasit Alexander in vita Barnabæ, D. Hieronymus in suis ad Epistolam ad Philemonem commentarijs, Nicephorus, Theophylactus in prologo in sanctum Marcum, Euthymius & Sixtus Senensis. At incerta est hæc opinio & non nisi opinio, & contrarium verius esse colligitur ex actis martyrij sancti Marci Evangelistæ, mortuus enim traditur octauo Neronis anno: alter vero consanguineus ille Barnabæ etiam quartodecimo illius anno vixisse perhibetur, quod verbis Apostoli proba, hic enim in secunda ad Timotheum epistola, quam circa decimū quartum imperij Neroniani annum scripsit, utpote iam martyrio proximus, Marcum ad se deduci postulabat: *Marcum, inquit, assume, & adduc tecum, est enim mihi utilis in ministerium*.

Act. 12. 25.  
ad Colof. ult.  
ad Philem.  
Niceph. lib. 2. c. 15.  
Theophyl. in Prol. Marc.  
Sixt. Sen. n. 6. l. 2. Bibl. Sanctor.

Quod autem eo tempore & anno Apostolus epistolam scripserit, ex alijs eiusdem Epistolæ verbis colligi potest: dixerat enim ante, *ego iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat*, id est, morti iam proximus sum, quæ propediem aderit. Hinc igitur apparet, nullis alijs argumentis coæruatis, non

vnum eundemque virum esse, sed duos diuersos.

Maiorem è errorem astruere conatus est Niceph. lib. 2. c. 43. Niceph sed ignorantia lapsus est: adstruit enim, nescio quo nixus fundamēto, Marcum sancti Petri sororis filium esse, atque proinde illius cognatum, nisi fortasse hoc inde collegerit, quauis perpetam, quæ Princeps Apostolorū filium suum illū appellare non dubitavit, uti iam paulo ante dixisse memini. Quod n. Nicephorus hic scribit, non minus erroneum est, quam illud fabulosum Cardinalis Baronij iudicio, quod S. Isidorus tradit, S. Marcum, ne ad sacerdotium promoueretur, pollices sibi præcidisse.

Lib. de Vita Sanctor.

His omnibus igitur omiſſis, dico sanctum Marcum haud multo post Mathæum Evangelium suum tempore conscripſisse: cuius proinde compilator & abbreviator dicitur. Nam ut verum fatear, S. Marci liber non nisi compendium est Evangelij S. Matthæi. Credit Irenæus post mortem Apostolorum Petri & Pauli Marcum scripsisse, sed tententia hæc cum veritate non coincidit: certum quippe est, Marcum teste sancto Hieronymo li. 3. de viris illustribus, & sancto Isidoro lib. de Patribus noui Testamenti, quod & Martyrologium Romanum confirmat, octauo Neronis anno occubuisse: gloriosi autem Apostoli quartodecimo eiusdem supplicio affecti dicuntur, uti ex Eusebio alijsque colligere est. Adeo ut post Apostolorum mortē (utpote ante alios iam mortuus) scribere Evangelium non potuerit. Scripsisse igitur verisimile sit circa tertium annum Claudiij, paulo ante quā Roma profectus in Ægyptum concederet, decimo circiter post ascensionem Dominicā anno: testantur hoc Eusebius in Chronico, Theophylactus & Euthymius, constat quippe secundo illum Claudiij anno cum Apostolo Petro Romam venisse, ac deinde sequenti anno animum ad Evangelium scribendum applicuisse.

S. Marci Evangelium S. Matthæi epitome.

Lib. 3. c. 15.

Quo tempore S. Marcus Evangelium scripserit.

Quā vero ob causam id scripserit, docent Patres, atque inter alios Eusebius ex Clementis & Papiæ testimonio, ait enim, *Non sufficit Euseb. ex auditiois, qui Petrum predicantem audierant, Clemente & sed Marcum discipulum eius omnibus precibus Papiæ, lib. 2. exoratum, ut ea, quæ ille verbo predicabat, ad c. 45.*

perpe-

*In synopsi.* perpetuam eorum commotionem scriptura traderet. idem quoque tradit sanctus Athanasius, sed aliis verbis. *Euangelium secundum Marcum Roma quidem ab Apostolo Petro predicatum est, editum vero à sancto Marco, & ab ipso Alexandria postea, & in Ægypto, & in Pentapoli, & in Libya predicatum.* Testatur hoc ipsum & Sanct. Hieronymus, dicens: *Marcus & interpret Petri iuxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Roma à fratribus, breue scripsit Euangelium.* Epiphanius item Cypri Episcopus, qui temporibus Imperatorum Valentini, Gratiani, Theodosij & Arcadij floruit, quique adeo docte aduersus octoginta hæreses scripsit, eandem rem testimonio suo consignauit, statim post *Matthæum insecutus Marcus, est iussus à S. Petro Roma Euangelium edere, & ubi scripsisset, mittitur à S. Petro in Ægyptiorum regionem.*

*In proœm. Marci.* Euthymius, magni apud Græcos nominis omnibus his testis accedat, suumque symbolum proferat: *Marcus, inquit, à Petro totum Euangelij sermonem didicit, & postmodum Euangelium conscripsit.* Post omnes hos ceteros irrefragabiles addo, quamuis Marcus Euangelium à S. Petro didicerit atque audierit, à Deo tamen illi id reuelatum fuisse, & à Spiritu sancto dictatum, vti & alijs Euangelistis: alioquin enim scripta illius certa & indubitata non essent, fideique inuiolata, nisi diuinæ reuelationi inniterentur.

*Quo idiomate Marci scripte.* Diximus, quo tempore, loco, & qua occasione Euangelium noster hic Euangelista scripserit, discutiendum iam restat, in qua id lingua scriptum sit. S. Hieronymus inter primos *Epist. 125 ad Damasum.* occurrentes dissoluendas offerens, in genere loquens ait, omnes omnino Euangelistas vnicò Matthæo excepto; (qui scripsit Hebraice) Græce Euangelium scripsisse. suffragatur huic & Augustinus: ecce illius verba, *Quatuor, inquit, Euangelistarum solus Matthæus Hebræo peribatur scripsisse et quo, ceteri Græco.* Credunt tamen Syn Marcum Latine scripsisse: quorum opinionem sequitur & Genebrardus libro 3. Chronologia cum alijs, quos citat & Cardinalis Baronius. Et verum ut fate-

ar, crediderim utramque partem verisimilia dicere, ac credibile videri S. Marcum utraq; lingua scripsisse, Latine quidem Romæ cum esset, Græce vero cum in Ægypto, Pentapoli & Libya commoraretur.

Omnib. hæc difficultatibus superatis dicendum est, Marcum nostrum quemadmodum hodie inter summos cœli incolæ recensetur: ita in mundo egregium & magnum virum extitisse, quod è nomine illius colligere est, quo nominatos viros tum literis, tum armis celebres video, doctrina quidem M. Ciceronem, M. Varronem, aliosque plurimos: armis vero M. Aurelium, M. Antonium, M. Crassum, M. Attiliam Regulum, aliosque innumeros: quibus si quod heroicum nomen, Marcus, decus & ornamentum attulit, longe profecto maius Marco nostro Euangelistæ attulisse censeo.

Missionem quoque & legationem, quæ illi missus ad iniuncta fuit, magno illi ornamento ac decori Alexandriam fuisse cõperio: missus quippe est ad ciuitatem nos cõuertendos. Alexandriam, illam ut Christi Euangelio imbueret, quæ totius Ægypti & totius orbis testibus historicis præter vnam, caput, S. Petrus Romæ, quæ terrarum caput & Princeps, cum commoraretur, & S. Marcum ad alteram, quæ ei dignitate quam proxima, Alexandriam scilicet destinauerit, credendum haud dubie est, magni illum meriti fuisse, non enim fit verisimile, Spiritum S. tam eximij loci gubernationem conseruationemque alij, quam generoso & strenuo duci crediturum fuisse.

Sancta hæc & excellens missio, qua sanctus hic Euangelista Alexandriam missus fuit, longo ante tempore fuit præsignata, Plerius n. Valerianus refert, cum prima vrbs huius fundamenta iacerentur, eiusque forma magnitudoque delinearetur, nullaque creta aut gyplus circumquaque inueniretur ad loca & limites designandos, farinam mentores adhibuisse, quæ quamprimum ab aibus circumquaque aduolantibus deuorata fuit. Varijs Mirabile hoc augures modis interpretati sunt, sed quid in Deo sua illos arcana celans, postea euidenter ostendit, designatum iam tum fuisse, vbi Alexandriarum aliquando tempus, quo B. Euangelista Marcus hac in vrbe prima Euangelij fundamen-

damenta ponens, sancta hac farina & pane  
coelesti, id est, Eucharistia, de quo Prophetas  
ait, *Et adipe frumenti satiat te: vestigia & notas*  
conspiceret, ad cuius odorem magna quā-  
primum Religiosorum, Anachoretarum, E-  
remicolarumque multitudo conflueret, qui  
auium instar post Euangelistae huius aduen-  
tum & predicationem in vastam ac desertam  
Aegypti solitudinem volarunt, & ibidem san-  
ctissime vixerunt.

Alexandria  
primo Leon  
topolis di-  
cta.

Philippi  
Macedonis  
somnia.

Cum vero Alexandriae urbis mentio hic  
inciderit, aliud quid addam. Urbs haec ab Ale-  
xandro iam inde a primis fundamentis Le-  
ontopolis, id est, ciuitas Leonis dicta est, cu-  
ius nominis hanc fuisse causam tradunt. Som-  
niavit Philippus Macedo iam olim vxor-  
tem Olympiadem, interea dum Alexandrum  
vterque gestaret, leonem vterque ferre, quod au-  
gures & diuinatores de Alexandro exposue-  
re, qui vere leonis instar animosus fuit & ge-  
nerosus, atque ut leo animalium omnium ge-  
nerosissimus est, ita illum omnium hominum  
generosissimum fore. Ipse quoque Alexander  
deinde Leonis se nomine appellari voluit, &  
leonis exuias Herculis instar indurus, de-  
pingi: ideoque etiam urbem hanc a leone no-  
men mutuari voluit. Sed aliud longe inten-  
dit hoc nomine Deus: nam ideo illam leonis  
nomen gestasse crediderim, mundo ut ma-  
nifestum fieret, eo venturum aliquando vi-  
rum, ad conuersionem illius procurandam,  
cuius symbolum esset leo, Marcum inquam  
Euangelistam.

Petrus Da-  
mianus.

O felicia praesagia! o urbem vere beatam,  
tam eximium quae doctorem nacta es, tam  
excellente praecone & Apostolum! Ita  
enim Petrus Damianus exclamat de S. Mar-  
ci, postquam Alexandriam appulit, martyrio  
agens, de qua cultu, quem reliquijs eius Italia  
desert: *Beata es Alexandria triumphali hoc san-  
guine purpurata: felix est tu Italia corporis huius  
thesauro diues effecta.* De Italia porro dum lo-  
quitur, crediderim de Veneta illum loqui re-  
publica, quae gloriosum hunc sanctum in pa-  
tronum delegit, corpus illius magna reueren-  
tia asseruat, leonemque, qui illius symbolum  
in insignibus & vexillis defert.

VI.

Quam praecleari mihi hoc leonis nomine  
conceptus sese offerunt? Primo in Prou. de  
*Bessai tom. 3. De Sanctis.*

leone scriptum legimus. *Leo fortissimus bestia-  
rum ad nullius pauebit occursum.* Quod non in-  
apte S. Marco, praeclearo Ecclesiae leoni accom-  
modari queat, qui fortissimus & generosissi-  
mus quidam Dux, qui nunquam ad ullius  
discriminis, quod sese obtulit, occursum ex-  
pauit, sed omnes contra Aegypti Principes fe-  
cit contremiscere, idola subuertit, supersti-  
tiones aboleuit, totiusque regni sedem & caput  
ad Christi fidem perduxit.

Prou. 30.

Salomon in templo ingens quoddam vas  
collocauit, quod mare futile nuncupauit, quod  
duodecim bouum humeris gestabatur, ac cir-  
cumquaque Cherubinos, palmas, & leones ha-  
bebat in sculpro: *Sculpsit quoque, in sabulis illis, 3. Reg. 7.*  
*quaerant ex aere, & in angulis Cherubin, & leones,*  
*& palmas.* Vas hoc fuisse Ecclesiam haud du-  
Ecclesiae fi-  
bie denotat, ac duodecim illi boues duode-  
cim Apostolos: Cherubim vero doctrinam  
praeclatorum, palmae & leones martyrum vi-  
ctorias, inter quas Marcus nosker excellit, id-  
eoque leonis illi imago, velut generositatis in-  
dex, attributa est.

In libro Iudicum de leone sermo est, in cu-  
ius mortui faucibus fauus mellis & examen  
apum inuenta: *Et ecce examen apum in ore leo-  
nis erat ac fauus mellis.* quo visu obstupescen-  
tes Philistim exclamarunt, *Quid dulcius mel-  
le, & quid fortius leone?* Exponite hoc, quomo-  
documque volueritis, equidem dixerō, idem  
omnino de Euangelista nostro dici posse: ve-  
re enim leo fuit, illius enim imaginem gerit,  
qui occisus, id est, martyrio affectus Alexan-  
driae, post mortem melle & dulcedine plenus  
reperitus est, gratia, in quam, virtute & sancti-  
tate: aequae & ex doctrina, quae illius ab ore  
profecta erat, examen apum ortum est, ma-  
gna scilicet fidelium, Eremitarum, sanctorumque  
Religiosorum multitudo, qui post mortem  
eius vniuersam Aegyptum monasterijs re-  
pleuere, adeo ut non iam Philistim, sed Aeg-  
yptij mirati, tantaeque rei nouitate percussi,  
exclamauerunt: *Quid dulcius melle? quid fortius  
leone?* Quid inquam dulcius melle verbi Eu-  
angelici, de quo Psalmista, *dulciora super mel  
& fauum.* & alibi: *Quam dulcia faucibus meis  
eloquia tua, super mel & fauum ori meo?* Quid  
etiam fortius & validius leone, id est, Marci  
Euangelistae animo?

Iudic. 14.

Psalm. 8.

Psalm. 118.

X Et sa-

Apoph.  
Diogen.

Et sane leo animantium Rex, semper hastenus symbolum & insigne fuit fortitudinis. Hinc Diogenes Cynicus animi sui magnitudinem & vires ostensurus, leoni se conferre non dubitavit, adeo ut cum quodam tempore feruus Xenias factus esset, & amici sortē illius deplorarent, omnemq; operam darent, illum ut in libertatem pullinam vindicarent, illorum voluntatem impediens dixerit, *An nescitis leones non se seruire, a quibus aluntur, sed aliores potius seruire leonib.* Longe hoc Apophthegma foret vepulsius: si S. Marco accommodetur: nam Deus inuincibilem illius animum & robur infractum demonstraturus, leonem ei in symbolum dedit: cumq; inter idololatrias & gentiles ageret, & coram Regibus & Monarchis rem & causam Christianorum ageret, eorum voluntati non cessit, prona eorum molimina demens non est secutus: sed ipsi potius persuasionibus, & prædicationis efficacia permoti, vitæq; miraculis inducti erant, Marco morem gesserunt. Pausanias Græcus auctor tradidit Agamemnonem strenuū illum, si quis vllus, ducem ad animi robur generositatemque patefaciendam & inimicos nominis sui terrore percellendos, clypeum efformasse, cui leonis imaginem inculpsit, hoc addito symbolo:

*Terror hic est hominum, qui que hunc gerit est Agamemnon.*

**Clypeus A-** Hoc ipsum de S. Marco dici merito etiã pagamemnonis. test, valido illo & generoso Ecclesiæ Duce, qui leonis imaginem non in clypeis modo & umbonibus, sed in calamo, & scriptis inculptum gerens, Ethnicorum Principum terror gentiliū formido, infidelium pauor fuit, variaq; animi sui magnitudinis argumētum Romæ, tum Alexandria, Cyrenæ, & Pentapoli demonstravit.

**Chabriæ apophthegma.** Chabriæ Atheniensium Dux, vel ut alii censent, Philippus Macedo, dicere solebat, agmen ceruorum, leone ductore, fortius ac validius esse, quam leonum duce ceruo; e quidem eorum opinioni tertius accedo, ac cenleo hoc esse verissimum: & Deum septuaginta duos discipulos cum elegisset, meticulosos, imbecilles, ceruoq; fugaciores, quibus vniuersas mundi vires protereret, ac subigeret, sanctum illis Marcum, per leonem desi-

gnatum, ducem, ac ductorem præfuisse, atque imbecille, atq; imbellem hoc agmen maiora profecto effecisse, quam omnes Philosophorum, Tyrannorum ac Principū terræ, qui præferitate leones erant, copia, ceruo, id est timore, & ignorantia ductrice simul conglobatæ.

Hæc quidem ex humaniorum literarum Quatuor horro deprompta sunt, iam Theologicam Euangelipalæstram adæmiam, & semper de leone aste quatuor Christite- Agnoscit Ecclesia quatuor Euangelistas, velut quatuor Christi testes, de quostes. quatuor perhibenda sint testimonia. Primū de illius humanitate, quod S. Mathæus tulit, illius genealogiam & originem describens, ideoq; in hominis vultu designatur. Secundum de illius diuinitate, atque hoc Ioannes Euangelista perhibuit, *Hic venit, ut testimonium perhiberet de lumine:* qui tam sublime euolauit dicens: *In principio erat verbum, &c.* ideoq; aquila illum denotat. Tertium de illius morte & passione, atq; a Luca hoc affirmatum est, qui plurib. de eisdem egit, quem proinde vitulus designat, animal in sacrificium offerri solitum. Quartum deniq; de resurrectione, ac de hac Marcus noster testatus est, qui illam egregie descripsit, ideoq; in leone representatur: eo quod leuiculi profundo somno sepulti, tertio demum die horrendo parentum rugitu euigilent & excitentur. De quatuor hisce testib. apud Ezechielem sermo est, vbi dicit, *similitudo autem cultus eorum, facies hominis & facies leonis, &c.* Ezech. 1.

Vltius progredior, scriptum in Exodo Exod. 25. legimus, in mystico summi Iudæorum Pontificis ornamento, voluisse Deum, ut e tunicae exterioris simbria septuaginta mala granata dependerent, & tot etiam intermixtim argentea tintinnabula. Huius caeremoniæ expositionem apud veteres Patres dum exquiro, video mala hæc & campanulas septuaginta, aut septuaginta duorum discipulorum figuram fuisse, qui pretiosum & eximium Ecclesiæ ornamentum fuere, quorumq; Princeps Marcus noster extitit, cuius odor velut e pretioso quodam fructu profectus, omnes afflauit, cuiusq; vox, velut magna quædam campana, per omnes Ægypti, Pentapoleos & Libyæ fines personauit. Et an non putatis de illorum

Psal. 18.

lorum hunc etiam numero fuisse, de quibus in Psalmo habetur mentio? *In omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum.*

Prolog. in Marc.

Insignia S. Marci præconia.

Finem non reperiet concio, si longius in præconiorum viri huius Oceanum prouenerit, ad illiusque honorem referrem, quicquid è sacra Scriptura de illo dici potest: quamobrem portum ingrediar, contractisq; orationis velis sine faciam, relato prius breui hoc, sed docto alioq; D. Hieronymi de illo elogio, *Marcus Euangelista* (inquit) *Dei electus, & Petri in baptismo filius, atq; in sermone diuino discipulus, Sacerdotium in Israel agens, secundum carnem*

*Leuita.* Quis vnquam maiorem honore habuit: cuius maiora decantata axiomata? electum scilicet esse à Deo vas electionis vt Paulus, fuisse filium Principis Apostolorum, dici magni Christi Iesu vicarij manu baptizatum, esse discipulum vniuersalis omnium fidelium, & totius Ecclesie Doctorem appellatum, adhuc è Leuitarum stirpe descendere, & sacerdotij nomine insigniri & officio fungi? Quæ omnia cum de S. Marco dicuntur, vere illum admirabilem & omni ratione venerabilem fuisse prædicant.

Egregia D. Marci præconia.

Illum igitur, Auditores, honoremus, & in illo Deum laudemus, iuxta Prophetæ adhortationem dicentis: *Laudate Dominum in Sanctis eius.* Si quo enim in sancto laudari meretur Deus, in hoc singillatim de prædicari dignus est ob varia in illum beneficia & gratias collatas, quod scilicet illum in quatuor Euangelistarum Spiritus S. Notariorum, & columnarum Ecclesie numerum aggregauit, quod populi Doctorem, verbi concionatorem, gregis pastorem, & agnium sui ductorem constituerit.

Admiremur igitur gloriosum & admirabilem diuinorum mysteriorum secretarium, cum se in illo Deus, quemadmodum in reliquis sanctis mirabilem reddiderit (*Mirabilis Deus in Sanctis suis*) admiremur doctrinam & veritatem Euangelij illius, virtutem prædicationis, sanctitatem vitæ, miraculorum fulgorem, virtutum ornamentum, animæ zelum, in laboribus tolerantiam & martyrij constantiam, admiremur obsecro, & vos ad hoc exhortor, auditores leonis huius fortitudinem,

verborum illius rugitus, scriptorum profundum, peregrinationum illius labores, tribulationum impetus ac violentiam, victoriam, quam de idolis & idololatriis reportauit.

Ad te, ô generose, strenue, & inuicte Christi miles, Ecclesie tuba, religionis scriba, mysteriorum secretarie, Euangelij doctor, vota nostra conuertimus, preces tibi nostras offerimus, tibi que omnes vnanimiter hic in terra supplicamus, vt in cælo pro nobis intercedas. Fac obsecramus, gloriose Euangelista, qui veritatem nobis scripro reliquisti, beatitudinis iter demonstrasti, viam salutis ostendisti, pericula in eadem occurrentia patefecisti, fauorabili ac propitia intercessione tua, hanc vt veritatem seruemus, beatitudines has consecremur, sanctas has semitas sequamur, & ab omni periculo & infortunio liberemur.

Generose & admirabilis leo, cuius rugitus, clamores, & prædicatio per vniuersam Libyam, Alexandrina compita, Pentapolitanam regionem, & per vniuersum propemodum Egypti regnum exaudita est: at rugitus pœnitentiæ, clamores austeritatis, & verba salutis per desertum paganismi: fac obsecramus, vt intercessione tua nobis annuat Deus: tuo exemplo leoninum animum ad mundo resistendum, ad carnis impetus rursus, leonem illum infernalem prosternendum præferamus, imprimis vero impetra, sancte Euangelista, nunquam vt ab Euangelio, quod scripsisti, deflectamus, magni illius Dei mandata, quorum tu nobis catalogum proposuisti, seruemus, nunquam à semitis, quas tuo calamo adaptaisti, & sanguine consignasti, seruitis inquam salutis, & ad beatitudinem æternam perducentibus declinemus, ad quam nos Pater, & Filius, & Spiritus sanctus deducant, Amen.

✠(o)✠

X 2

IN FE.